





Wd. 67.





*Q. D. B. F.*  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
DE

USU EXIGUO  
SCTI VELLEJANI  
IN FORIS GERMANIÆ,

QUAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN. PHILIPPO WILHELMO,  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO,  
ET DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE, &c. &c.

PRÆSIDE  
DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCTO,  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO,  
PROFESS. PUBLICO ORDINARIO, ET FACULT. JURID. h. t. DECANO,

IN ALMA FRIDERICIANA,  
PRO LICENTIA,  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA  
RITE CAPESSENDI,  
IN AUDITORIO MAJORI,  
HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS D. XXI. SEPT. MDCCVII.  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJECIT  
JOHANNES RUPERTUS KRANNOEST,

RATISBONENSIS.

RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITERIS SALFELDIANIS, 1724.

(5



DISSERTATIO JURIDICA  
DE

USU EXIGUO  
SCTI VELLERJANI  
IN FORIS GERMANIAE

QUAM  
RECTOR MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINO  
DN. PHILIPPO WILHELMO  
PRINCIPIS BORSIAE, MARCHIONIS BRANDENBURGICI  
ET DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE, &c. &c.

IN ALMA FRIDERICIANA  
DN. CHRISTIANO THOMASIO JOTO  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORSIAE CONSILIARIO  
PROFESSORIS JURIS ORDINARIO ET FACULT. JURID. P. DECANO

PRO LICENTIA  
SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIS ET PRIVILEGIIS  
RITE CONSERVANDIS  
IN AUDITORIO MAJORI  
HORIS ANTE EA PRAESIDIUM D. XII. SEPTE. MDCCCLXII  
PRAESIDIO AUDITORIUM EXAMINAVIT  
JOHANNES KUPERUS KRANNOEST,  
NATISSONENSIS.

Regius Haer. Magdeburgic. Libr. Salsmann. 1752







DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
USU EXIGUO SCRTI VELLEJANI  
IN FORIS GERMANIÆ.

SUMMARIÆ.

**S**umma dicendorum. §. I. Origo & occasio SCRti apud Romanos. Olim femina sub perpetua tutela existentes non opus habebant SCRto. §. II. Cur tutela feminea desierit. §. III. Unde opus fuit SCRto Vellejano. §. IV. Ejus æquitas. §. V. Moribus Germanorum antiquis ignoratus fuit usus SCRti Vellejani. §. VI. Quando & qua ex ratione SCRtum Vellejanum in foris Germania sit receptum, §. VII. ac postea retentum. §. VIII. Non tamen ubique viget, §. IX. ob rationes non contemnendas. §. X. Nec uruntur hoc SCRto Regina. §. XI. Summa usus practici de SCRto Vellejano. §. XII. Jure Romano cur regulariter saltem exceptio data. §. XIII. Quibus casibus ipso jure nulla



4 DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

*nulla fuerit intercessio. §. XIV. Hanc distinctionem hodie nullum habere usum. §. XV. Usus practicus circa renunciationem SCri Vellejani. §. XVI. An renuntiatio SCri sit conveniens doctrinae juris? Negatur. §. XVII. Autores banc sententiam defendentes. §. XVIII. Rationes 1) quia SCrum prohibet intercessionem. §. XIX. Unde 2) fraudem facere potest SCro femina. §. XX. 3) quia mulier solutam pecuniam repetit conditione indebiti. §. XXI. 4) quia mulier non obligatur iterata promissione. §. XXII. 5) quia S. V. est propter fragilitatem naturae inventum. §. XXIII. 6) quia frustranea esset intentio SCri. §. XXIV. Nec valet etiam renuntiatio jurata, tam jure civili quam naturali. §. XXV. Transitus ad argumenta dissentientium. §. XXVI. 1) quod SCrum Vellejanum sit inventum in favorem mulierum, ad quam responderetur. §. XXVII. 2) Responderetur ad l. fin. §. 4. h. t. §. XXVIII. 3) ad Nov. 118, c. 5. §. XXIX. Origo sententiae dissentientis. Eam esse valde antiquam. §. XXX. Robur ejus ex regula aequitatis ce-  
 rebrinae juris Canonici. §. XXXI. Probatum jam exiguum esse usum SCri Vellejani in foris Germania. §. XXXII. Atque adeo plerumque decipi feminas contra intentionem SCri. §. XXXIII. Usus vero, si quis restat, esse plane iniquum & irrationalem. §. XXXIV. Conclusio. §. XXXV.*



## §. I.



On est animus agere de SCTO Vellejano, quod fit ab omnibus commentatoribus ad Pandectarum istum titulum. Sed saltem considerare, utrum doctrina Romana de SCTO Vellejano quadret ad mores Germanorum? quo tempore & qua occasione sit recepta; quid ex doctrina juris Romani de SCTO Vellejano in praxin receptum esse dicatur? An renunciationes SCTI Vellejani in praxi receptæ sint rationabiles & cum doctrina sana juris convenientes? Denique an suppositis istis renunciationibus in praxi frequentibus frequens sit usus SCTI Vellejani?

*Summa dicendorum.*

## §. II.

Quod primam quæstionem attinet, non possumus de convenientia SCTI Vellejani cum moribus Germanorum disquirere, si non probe consideremus originem & occasionem SCTI Vellejani apud Romanos. Quare ea de re sic habendum. Gaudent equidem communibus plerumque juribus sceminae cum masculis, imprimis in illis, quæ ex dictamine rationis communis, & jure naturali deducuntur. Inter illa vero lex de fide data servanda sic universalis est, ut omnes, qui liberam habent bonorum administrationem & se daturos vel facturos quid esse aliis promittunt, absque distinctione dignitatis aut status vel sexus obligentur. Sed cum tamen sceminae imbecillitate sexus & ignorantia rerum forensium laborent,

*Origo & occasio SCTI apud Romanos. Olim feminae sub perpetua tutela existentes non opus habebant SCTO.*



non solum Athenienses, sed & alii Græcorum populi non permiserunt fœminis libere alienare bona sua, & se obligare, sed voluere, fœminas esse in tutela perpetua, qui mores postea etiam ad Romanos translati, fœminas constituiebant in tutela parentum, fratrum, virorum, successu temporis etiam accessit tutor dativus & suo modo testamentarius, vide Ulpian. *fragm. tit. 11.* & Schilter. *Exerc. 37. tit. 222. seq.* Quod si ergo hi mores, vel ut alii volunt, hæc dispositio legis XII. Tabb. apud Romanos probe & constanter fuisset observata, non opus fuisset SCto Vellejano, cum mulier absque tutoris sui autoritate in nullo negotio se potuisset obligare; accedente vero tutoris sui autoritate non ita saepe læderetur, ut propterea nova lege opus fuisset. Sed constat tamen ex fragmentis historiarum, istam tutelam fœmineam sæpius fuisse interruptam & neglectam, etsi non constet exactissime, quibus temporibus, atque qua occasione & intentione id factum fuerit. Quare etsi sæpius repetita & variis Imperatorum constitutionibus confirmata fuerit, tandem tamen plane cessavit, unde etiam in Corpore juris Justiniano plane non memoratur. Vide, qui diligentissime hoc thema tractavit, Schilterum *d. l.*

## §. III.

Cur tutela  
fœminea  
deserit.

Id tamen disquirere omisit Schilterus, cur ista lex haut iniqua & fœminis utilissima de perpetua tutela fœminea tam sæpius interrumpereur & tandem plane desineret. Nec memini eam quæstionem tractatam esse ab aliis. Haud dubie illa subfuit ratio, quod



quod fœminæ tutorum talium impatientes, postquam blanditiis & aliis artibus meretriciis viris imperium domesticum extorsissent, & sub Imperatoribus etiam negotiis civilibus se immiscerent, voluerint multo magis negotia propria cum efficacia gerere, absque auctoritate tutorum, indulgentibus id J<sup>C</sup>tis & Imperatoribus ac aulicis, fœmineo sexui plusquam par est deditis. Vide quæ de moribus corruptis fœminarum Romanarum scriptores notant passim, præcipue Seneca *consol. ad Helv. c. 14. & 16. lib. 3. de benefic. c. 16. item Epistola 95. p. 566. seq. adde excerpta e libris Senecæ circa finem.* Unde nequaquam mirandum, quod Justinianus ad imitationem aliorum Imperatorum præcedentium non restituerit tutelam perpetuam in fœminas, cum ipse totus fuerit fœmineus, ut ex variis ipsius constitutionibus partim, partim ex historia arcana Procopii ad oculum patet.

## §. IV.

Uti tamen sunt fœminæ comparatæ, quibus major libertas agendi relinquitur, quam imbecillitas sexus earum admittit, ut sapius lædantur ab astutioribus masculis, ita & fœminis Romanis sæpe dabatur occasio sentiendi, quam imprudenter facta fuerit tutorum illa abdicatio pristina. Cum vero non possent fœminæ sic læsæ negotia rescindere ex capite deficientis tutoris, necesse erat, ut alio modo ipsarum imbecillitati succurreretur. Unde Ulpianus refert, l. 2. *pr. b. r.* temporibus Augusti & deinde Claudii (scilicet ut Schilterus exponit *Errat. 28. §. 7.*) Claudii Tibe-

Unde opus  
fuit S<sup>C</sup>t  
Vellejano.



Tiberii) primo fuisse edictis eorum interdictum, ne foeminae pro viris suis intercederent. Haud dubie, quia, ut foeminae sapissime viros blanditiis decipiebant, ita nec deerant viri, qui similiter foeminas, maxime luxuriantes, blanditiis pariter suis bonis spoliarent. Quae ratio cum saepe etiam occurreret in intercessione pro aliis, initio JCI edicta haec imperatorum interpretatione sua extenderunt etiam ad intercessionem mulierum pro extraneis, & qui non essent mariti. Anton. Faber *in rational. ad l. 2. pr. §. 1. b. t. lit. b.* donec sub eodem Imperatore Claudio Tiberio (per ea quae adduxit Schilter. *d. Exerc. 28. §. 3.*) Senatus consulto nostro constitueretur, ut non liceret foeminis intercedere & mutuum dare pro aliis. *d. l. 2. §. 1. b. t.*

## §. V.

*Ejus aequitas.*

Quemadmodum autem jus civile nihil committit, quod repugnet juri naturali, si imbecillitati sexus foeminei & damno, quod ex ejus laesione etiam sentit respublica, occurrat constitutione tutelae, & prohibendo, ne sine autoritate tutoris foeminae obligentur; ita eadem est ratio, si jus civile, quod tutelam foeminarum non agnoscit, negotia quaedam, in quibus foeminae praeter reliquis circumventi solent, ab obligatione eximat, qualis est intercessio pro aliis cum damno rei familiaris, quod fecit SCrum Vellejanum ea ratione adducta, quod foeminas civilibus officiis fungi, & ejus generis obligationibus stringi non sit aequum, *d. l. 2. §. 1.* sive sensus sit, fidejussionem & intercessionem pro aliis pertinere ad officia virilia, ut vult Ant. Faber.

*in*



in ration. *ibid.* five (si hæc assertio displiceat cum Bachovio ad Treutl. *disp.* 15. *zh.* 1. *lit.* c. p. 2.) quod æqualis iniquitas subfit, si respublica permittat intercessionem mulierum, quam si permittat fœminis gestionem virilium officiorum. Unde non attendenda contradictio Cypriani Regneri *disp.* 25. *zh.* 1. asserentis, rationem hujus juris Romani esse adulterinam, aut saltem vinci ab hac fortiori, quod quilibet homo, qui iudicio prædictus est, teneatur ex sua conventionem serio inita. Etsi enim exclamet: *Hæc, inquam, regula æterni juris est, & summa cum violatione boni publici violatur, nisi contraria reipublicæ salus efficacior dissuadeat, quæ hic pro S<sup>C</sup>Tro Vellejano non datur, ut vel leviter perpendenti patet.* Statim tamen sibi contradicit, dum subjungit: *Quin tamen interdum ob simplicitatem mulierum restitutio in integrum indulgenda sit, nullus dubito.* At vero hæc erat ipsa ratio totius S<sup>C</sup>Ti, ut quod succurrebat mulieribus non decipientibus, sed deceptis & læsis l. 2. §. 3. l. 23. l. 30. *pr.* b. z. Caterum, cum intercessioni aut fidejussioni accidat, ut intercedentes lædantur, illa æquitas non absoluta est, sed hypothetica, aut si mavis, magis est æquum in sensu negante quam agente, ut mulieribus succurratur. Id est, leges illæ civiles, quæ fœminis succurrunt, non sunt iniquæ. Et ubi tales mores non sunt recepti, sed ubi fœminæ æque obligantur ac masculi, isti mores non statim deo, quod recedant a dispositione juris Romani, pro iniquis sunt habendi. Sed potest & ibi variante ratione, Senatum ad hoc S<sup>C</sup>Tum impellente, alia subesse æquitas dissuadens rescissionem intercessionis muliebris. Aliter  
 B  
 proce-



procedit in ostendenda æquitate SCti Vellejani Huberus in Eunomia Romana ad *L. i. ff. b. r. p. 581. seq.* Ita videlicet, ut improbet edita Gallica, usum SCti Vellejani abrogantia. Sed vide, quæ de his differuimus *infra ff. 9. & 10.*

## §. VI.

*Moribus  
Germano-  
rum antiquis  
ignoratus  
fuit usus SCti  
Vellejani.*

Mores Germanorum quod concernit, antiquitus quidem & antequam jus Romanum ex Italia transferretur in academias Germaniæ, patria nostra ignoravit usum SCti Vellejani. Er tum videlicet receptum fuit, ut mulier quævis in negotiis judicialibus tutorem haberet, extrajudiciales vero actus virgines & viduæ majorennæ sine curatoribus valide celebrarent, tam de jure Saxonico *l. 2. art. 45.* quam Suevico *cap. 110.* vid. Schilter *Exerc. 37. th. 242.* Quin & si læsa fuit mulier in negotiis, quæ curatorem non requirebant, aut quæ cum curatoris interventu contraxerat, gaudebat restitutione in integrum, etiam antiquo jure. Schilterus *Exerc. 11. th. 9.* & plures, quos citat *Exerc. 37. & th. 242.* A. C. Jacobi in *dissert. inaug. Wittebergæ anno 1671. habita de in integrum restit. mulierum*, quæ sententia etiam hodie plerumque est recepta, sequestrata opinione dissentientis Carpzovii *P. 2. const. 15. def. 33.* putantis, mulierem cum curatore contrahentem non restitui. Quare jure Germanico non opus erat, ut fœminæ gauderent beneficio SCti Vellejani, ob generale beneficium restitutionis, quo utebantur in omnibus negotiis, in quibus damnum passæ erant.

## §. VII.



## §. VII.

Interim tamen & ordinationes provinciales & quotidiana praxis docet, S<sup>C</sup>Tum Vellejanum hodie in plurimis locis Germaniæ esse receptum. Quando id factum sit, accurate determinari nequit. Ante juris Romani receptionem in academias Germaniæ nullum credo dari posse exemplum S<sup>C</sup>Ti Vellejani in Germania. Ergo post introductionem juris Romani in academias, pedetentim ex his cum aliis capitibus juris illius transit in fora Germaniæ. Unde nec de ratione introductionis opus erit, ut simus solliciti. Scilicet, uti in plurimis negotiis jus Romanum est receptum, magis ex nimis intempestivo amore doctorum Germanorum, & ex nausea juris patrii, quam ex ratione politica, respiciente utilitatem reipublicæ germanicæ.

*Quando & qua ex ratione S<sup>C</sup>Tum Vellejanum in foris Germaniæ receptum.*

## §. IIX.

Interim tamen semel introducto usu hujus S<sup>C</sup>Ti in fora Germaniæ, non desunt rationes, quæ saltem ostendere valent, eam introductionem non iniquam, vel absurdam esse. Duas affert Schilterus *Exerc. 28. §. 5.* unam, quod mores sanctiores Germanorum (i. e. ut ex initio d. §. constat, fœminarum germanicarum) cesserint, alteram, quod tutorum curatorumque dexteritas sæpius desiderata fuerit. Primam quod attinet, de eo quidem Schiltero litem non movebimus, quod fœminarum mores subsequenter temporibus non creverint in melius, sed illam tamen rationem habere mallem pro illustrante & secundaria, quam pro

*Ac posita retentum.*



primaria, cum fœminarum, quæ beneficio SCri apud nos non utuntur, de quibus mox dicemus §. *seq.* mores non sint sanctiores moribus aliarum fœminarum. Secundæ vero rationi, quam Schilterus adducit, etiam addi possunt adhuc aliæ, quod videlicet curatores a fœminis non adhibendi essent in negotiis extrajudicialibus, item, quod, ubi curatores essent adhibendi, (quod jure Saxonico Electorali postea latius est extensum *Parr. 2. Const. 15.*) fœminæ tamen, quæ cum curatore contraxerant, si læsæ essent, absque dolo curatoris non haberent regressum ad conveniendum curatorem. *Carpz. d. Parr. 2. const. 15. def. 33.* Nec obstat, quod tamen fœminæ læsæ haberent restitutionem in integrum. Etenim illa sententia olim non ubivis fuit recepta, *Carpz. d. l.* & etiamsi hodie vigeat, pinguius tamen est remedium SCri Vellejani, imprimis in eo casu, ubi mulier intercedens renunciavit beneficio excussionis; cum in eo casu non semper appareat tempore condemnationis læsio futura, scilicet, utrum aliquod damnum sit passura mulier solvens & solutum a debitore principali postea repetens.

## §. IX.

*Non tamen  
ubique viget.*

Non tamen illa observantia SCri Vellejani in foris Germaniæ universalis est. Sunt enim populi in Europa & Germania, apud quos SCrum vel plane non est receptum, vel edictis publicis abrogatum. Sunt, apud quos fœminæ, quæ mercaturam exercent, nec tutore opus habent, nec beneficio SCri utuntur, sunt, apud quos tantum beneficium SCri Vellejani cessat in causis



causis mercatoriis, obtinet in reliquis fœminarum, etiam mercaturam exercentium, negotiis. Exempla de Gallia, civitate Tholosana, Prussia, Belgio, Noriberga, Lubeca, vide apud Grœnewegen de legibus abrogatis *ad Cod. b. r. Regner. disput. 17. ad Instir. ff. 2. Schilter. Exerc. 28. ff. 6.* & qui ab his citantur: qui de singulis exemplis informabunt, ad quam classẽm ex memoratis exceptionibus ea pertineant. Quamvis subinde res postulet adhuc curatiorem inspectionem autorum ultimatorum, ex quibus alii sua petierunt. Ita Regnerus *d. l.* putat, SCIum Vellejanum hodie mulieribus Belgicis non conpetere, quia satis sagaces sint, & ideo illorum pacta servanda. Ergo & recte Carolum IV. abrogavisse SCIum, quam in rem ad Zypræum & Paponium provocat. Contra Grœnewegen *d. l.* asserit, moribus Belgicis obtinere SCIum, nisi mulier ei renunciaret. Sed talia jam discutere nostri non est instituti. Potius ostendemus paucis, singulas has observantiarum classes non esse iniquas, sed singulas suis æquitatis rationibus gaudere, idque non mirandum, quia diximus supra jam §. 5. *in fine*, æquitatem SCIi non esse positivam, sed negativam, id est, jus naturæ non præcipere, fœminis dari beneficium S. V. sed saltem permittere.

## §. X.

Cum autem ea, quæ permittuntur, etiam aliter *Ob rationes se habere possint, inde non deerunt rationes pro po-* *non contem-*  
 pulis, ubi beneficium S. V. non obtinet, aut restrictum *mnendas.*  
 est. Ubi plane non est receptum vel abrogatum, ibi cogitavit populus, etiam accidere sexui fœminino



tantam inbecillitatem rationis, ut propterea beneficium hoc Vellejanum necessarium videatur. Et si enim natura doceat, fœminas esse imperfeioris conditionis masculis, tam intuitu effectuum naturalium quam moralium, tamen ea differentia, quatenus naturalis est, & non adventitia, tanta non est, ut novas leges intuitu sexus fœminini requirat, sed leges morales & politicae regulariter æque obligant utrumque sexum. Verum est, fœminæ sæpe decipiuntur a masculis, sæpe etiam masculos decipiunt, & tamen tum masculis contra fœminas beneficio S. V. non succurritur. Fidejussio est negotium sua natura periculo damni subiectum, ubi masculi pariter & fœminæ, æque a creditoribus decipiuntur. Fœminæ non tantum a masculis, sed etiam a fœminis decipiuntur, & adversus has etiam utuntur beneficio S. V. Et si hi casus sunt frequentes, uti sunt, habemus exempla tam astutiæ fœmininæ in decipientibus, quam imbecillitatis in deceptis, ut imbecillitas sexus vix possit pro causa allegari movente SCti &c. Porro, ubi fœminæ mercatrices vel negotia mercatoria excipiuntur, illud insuper urgeri potest. Non solum respiciendum esse in legibus ad damnum, quod respublica per læsionem fœminarum patiatur, sed & ad damnum, quod patitur per impedimenta commerciorum. At commercia sisti & impediri, si fides aut fiducia creditorum in promptitudinem solvendi debitorum minuatur, *went der credit geschwächt wird.* Hoc vero necessario fieri, si non sit celerrima administratio justitiæ, etiam in causis fidejussionum secundum regulas æquitatis simplicis



cis & palpabilis ac communis, non vero particularis & variantis, uti diximus esse æquitatem S. V. Accedere, quod mercaturam exercere sit officium virile æque ut fidejubere, & quod mercatura sine fidejussionibus promiscuis non possit exerceri. Ergo si fœminæ aptæ censentur ad mercaturam, aptæ quoque censentur ad fidejussiones &c.

## §. XI.

Ex dictis etiam deduci potest ratio, cur S<sup>C</sup>T<sup>O</sup> Vellejano in Germania, & alibi, ubi alias receptum id est, uti nequeant fœminæ illustres, regalia & jurisdictionalia habentes, ut Regina, Ducissa, Comitissa, Abbatissa. Quæ enim personæ ad regimen aptæ censentur, ea non minore aptitudine censentur esse præditæ intuitu rei familiaris & domesticæ. Schilter. *d. Exerc. 28. §. 6. Lauterbach. in Comp. ad b. r. & in Tractat. Synopt. n. 4. in fine, quem tamen ut dissentientem etiam in Exercit. 28. concl. 19. allegat Schilterus d. l.*

## §. XII.

Ubi vero recepta est praxis S<sup>C</sup>T<sup>I</sup> Vellejani, ibi communiter summa usus practici in eo consistit. Potest fœmina intercedens pro aliorum debitis uti beneficio S<sup>C</sup>T<sup>I</sup> Vellejani, nisi eidem debite renunciaverit: quæ summa praxeos duo capita quasi continet, regulam, (i. e. usum S<sup>C</sup>T<sup>I</sup>) & exceptionem. (i. e. renunciationem.) Regulam dum dico, & exceptionem, non id volo, quasi in praxi nulla alia exceptio admittatur a regulari usu, sed quod illa exceptio de renunciatione, præ cæteris in praxi frequenter occur-



rat, atque praxis circa eam multa determinaverit, quæ vel indeterminata vel dubia erant intuitu juris Romani. Cum ergo in ipso jure Romano varii recenseantur casus, in quibus SCri Vellejani beneficium fœminis intercedentibus non indulgetur, quos videre licet communiter apud Commentatores *ad h. tit. in Pandectis & Codice*, v. g. si mulier dolose egerit, si pretium intercessionis acceperit, si post biennium iterato intercesserit, si in suam utilitatem intercesserit &c. non dubium est, iis in locis Germaniæ, ubi usus SCri Vellejani dicitur esse receptus, etiam illas exceptiones simul receptas esse.

## §. XIII.

*Jure Romano regulariter cur saltem exceptio data.*

Cæterum, quod ipsius SCri usum prædicum concernit, distinguendum utique videtur inter rem & modum procedendi. Utitur fœmina apud Germanos iisdem juribus de SCro Vellejano, quibus utebantur Romani. Sed apud Romanos quoad modum utendi id erat observandum. Regulariter intercessio a muliere facta non reddebat actionem creditoris ipso jure nullam, sed mulieri dabatur exceptio SCri *l. 15. §. 16. ff. b. 1.* Non obstat t. quod in verbis SCri *l. 1. §. 1. b. 2.* diserte dicatur, jus de intercessione fœminarum ita dictum esse, *ne eo nomine ab his petitio, neve in eas actio detur.* Nam hæc verba intelligenda sunt hoc loco in significato laxiore, ne actio detur cum effectu, cum ea per exceptionem elidatur, qui significatus etiam occurrit *in toto ff. tit. quarum rerum actio non datur.*

2. Dubium illud removendum est, quid causæ fuerit apud Romanos, ut, muliere ob intercessionem in jus vocata, Prætor non ipso jure removeret actorem, sed demum exceptionem daret mulieri, proponendam coram



coram iudice pedaneo & ibi probandam. Ita enim regulariter comparatum erat cum exceptionibus, ut et si modi tollendi obligationem, quæ ipso iure tollerent actionem, sæpe etiam essent altioris indaginis, tamen etiam exceptiones, quibus infringebatur actio coram iudice pedaneo, deberent esse dubiæ & non evidentes, ut probationibus opus sit, h. e. ut nullas allegationes reorum Prætor ad iudicem pedaneum remitteret, quæ erant evidentes & notoriæ. At vero quid magis evidens est quam qualitas, quæ a scæmina allegabatur adversus creditorem, solutionem ex causa intercessionis petentem. Consistebat enim ea allegatio in qualitate sexus notoria. Sed ad ista non difficilis est responsio. Et si notoria esset allegatio scæminæ ratione sexus, tamen non notoria erat replica actoris, ab exceptionibus S<sup>C</sup>Ti desumenda, quarum meminimus in §. precedente, & ergo harum intuitu nulla suberat inconvenientia, quod prætor controversiam illam, de admissibilitate S<sup>C</sup>Ti remitteret ventilandam coram iudice pedaneo.

## §. XIV.

Sed ista quidem olim obtinebant ante Justinianum. Justinianus duos adjecit casus, in quibus etiam ipso iure nulla daretur actio creditori. Primo si intercessio facta non fuisset in instrumento publico & a tribus testibus subsignato *l. 23. in fine C. h. t.* Secundo, si uxor pro marito quocunque modo intercessisset, nisi aperte probetur, quod pecunia in mulieris utilitatem impensa sit, *Auth. si qua mulier C. h. t. Novell. 134. c. 2.*

*Quibus casibus ipso iure nulla fuerat intercessio.*

C

Schil.



Schilter. *d. exerc.* 28. §. 7. Leschafferus J Ctus Gallus  
de renunciatione Vellejani p. 133. operum ejus in idiom. Gal-  
lico conjunctim editorum.

## §. XV.

Hanc distin-  
tionem bo-  
die nullum  
habere usum.

Sed ista quidem distinctio, an actio ipso jure tol-  
latur, an ope exceptionis, in foris Germaniæ nullum  
habet usum, cum tota, quanta quanta sit, se fundet in  
distinctio apud Romanos olim officio Prætoris & ju-  
dicis, quæ distinctio apud nos exulat. Et notum est,  
quod intuitu processus magis sequamur jus canoni-  
cum, quod etiam illam distinctionem ignorat, quam  
jus civile. Unde etiam ab acutioribus J Ctis nostrati-  
bus, distinctio pragmaticorum rejicitur, inter exce-  
ptiones facti & juris, partim quod ea repugnet ipsi  
juri Romano, *vid. Schilter append. ad exerc.* 47. §. 12.  
partim ob rationes modo dictas. Etsi vero non de-  
sint Dd. qui adhuc hodie duplicem arbitrantur usum  
practicum esse distinctionis inter modos tollendi obli-  
gationes ipso jure & ope exceptionis, tamen vereor,  
ne iste duplex usus, quod absque contumelia intel-  
letum volo, sit tantum non mere cerebrinus. Initio  
dicunt, modos tollendi obligationes posse opponi an-  
te litem contestatam, tanquam litis ingressum impe-  
dientem, exceptiones vero peremptorias strictè dictas  
subjungendas esse litis contestationi. Sed imbecilli-  
tatem hujus asserti jam ostenderunt alii. *vid. Excel-  
lentiss. D. Beyerus ad Pandect. tit. de except. post. n. 4.  
& 17.* Deinde alii ajunt, modos tollendi obligationem  
ipso jure a judice ex officio esse supplendas, etsi a par-  
tibus



tibus non sint allegatæ, modo de iis ex actis constet, aliud vero dicendum esse de modis tollendi obligationem ope exceptionis. Carpov. *part. 1. const. 25. def. 1.* Atque eum usum ad casus istos nullitatis duos in S<sup>C</sup>to Vellejano applicat Schilterus *d. exerc. 28. §. 7.* & Huberus *in prælect. ad Pand. b. t. n. 7.* norat, nunquam in foro de supplemento a iudice faciendo dubitatum fuisse in quæstionibus de intercessionibus mulierum ipso jure nullis. Ego vero etsi hoc facile largiar, differentiam tamen illam non agnosco, non, quod negem supplendas esse allegationes modorum tollentium obligationem ipso jure secundum stilum Romanorum, sed quod negem, solas has esse supplendas. Quis enim negat, etiam supplendas esse ex officio iudicis allegationes, quæ stilo Romanorum actionem tollunt ope exceptionis, modo de iis alias ex actis constet. Quid enim, si ex actis constet v. g. de exceptione jurisjurandi, metus, pacti de non petendo &c. An ullus iudex tam iniquus erit, ut condemnet reum, ex ignorantia advocatorum aut propria disertis verbis istas exceptiones non opponentem, si modo de iis ex actis alias constet?

## §. XVI.

Pergo ad renunciationem S<sup>C</sup>Ti Vellejani. (*vide Usus practicus circa renunciationem S<sup>C</sup>Ti Vellejani.* *supra §. 19.*) Variæ vero sunt renunciationis species, cum alia sit extrajudicialis, alia judicialis, alia item jurata, alia injurata. Et de ipsis quidem distinctionibus renunciationum doctores non dissentiunt, quoad applicationem vero distinctionum illarum ad doctrinam



nam S<sup>C</sup>ti Vellejani ingens est D<sup>d</sup>. diffensio. Malo rem verbis Illustris Strykii exponere *ex ejus lectionibus publicis ante 30. annos-Francofurti in calamus dictatis, de usu moderno Pandectarum ad h. t. §. 2. 3. & 4.* Circa renunciationem, ait, hujus S<sup>C</sup>ti, non eadem ubique locorum praxis est. Distingui autem solet, an mulier intercedat pro extraneo, an pro marito. Si pro extraneo, vilida est renunciatio, etiam injurata & extrajudicialis, modo præcesserit certioratio. Gailius *l. 2. obs. 77. n. 3.* Carpz. *p. 2. const. 16. def. 19.* Sed si jurata fuerit renunciatio, non opus esse certioratione vult Gailius *d. obs. 77. n. 10.* quod ex validitate juramenti, quam ex jure canonico habet, dependet. *Conf. Scruvium exerc. 10. rh. 21. in fine.* In Saxonia vero hoc specialiter receptum, quod renunciatio pro extraneo in judicio fieri debeat, Carpz. *d. l. def. 17.* adeo ut ne quidem in domo judicis facta sufficiat, nisi forte mulier impedita in judicium venire judicem & scabinos ad se vocaverit, Carpz. *def. 18.* Sed in Marchia hoc casu opus non est, ut renunciatio in judicio fiat. Pro marito, jure Romano novissimo, si intercesserit uxor, regulariter huic beneficio renunciare non potest, nec valet ea, quamvis sæpius fuerit repetita. *Nov. 134. cap. 8. Aurbenz. s. qua mulier C. h. t. per praxin tamen univrsalem receptum, ut si huic authentice in specie renunciaverit uxor, (quamvis, ut authentice mentio fiat, alii non præcise necessarium putent) subsistat intercessio, modo renunciatio fuerit jurata, Carpz. P. 2. c. 16. d. 1. Zang. de except. p. 3. c. 11. n. 73. nec sufficit renunciatio facta an Cydes stant, nisi sub-*  
*ficiatur*



jiciatur clausula: **So wahr mir Gott helffe**, Carpz. *d. l. def. 6.* & nisi hæc ultima verba fuerint adjecta, non sufficit, etiam si intercesserit **bey dem Worte der Wahrheit**, *per Decis. noviss. Saxon. 5. conf. Philip. ad dict. dec. obs. 12.* Refringitur tamen hoc in Saxonia ad bona dotalia & donationem propter nuptias, ut quoad hæc pro marito non obligetur, nisi modo prædicto; quoad paraphernalia vero valeat intercessio non jurata, si etiam modo fuerit judicialis. Carpz. *const. 16. def. 10.* Philip. *d. l. obs. 3.* Hic in Marchia pariter jurata renunciatio necessaria est, si pro marito intercedere velit, & requiritur insuper, ut vel in judicio (quod idem in Saxonia obtinet. Philip. *d. l. obs. 1. n. 3.*) vel coram notario & testibus fiat renunciatio. Nec hic distinguitur inter bona dotalia & paraphernalia, nam eadem renunciatio in omnibus requiritur. Quamvis, si tantum juri hypothecæ renunciare velit, uxor hoc possit etiam sine juramento, ad ductum juris communis *l. 11. §. 12. C. ad Scrum Vellej.* Sic tamen necessum est, ut ex aliis mariti bonis satisfieri possit uxori, quod in casu intercessionis legitimæ factæ aliter se habet, ubi indistincte uxor obligatur. Carpz. *d. l. 16. def. 12. conf. Schilterum d. Ex. 28. §. 10. 11. 12. Lauterbach. Comp. b. t. lit. G. n. 5.*

## §. XVII.

Vides Dd. quoad usum practicum doctrinæ de An renunci-  
renunciatione Scti Vellejani & ejus modis mirum atio Scti sit  
quantum dissentire, adeoque in eo consentire praxin, *communis*  
quod admittant renunciationem, tam pro marito, *doctrina ju-*  
quam pro extraneo, circa modum vero renunciandi *vis? Negatur.*  
dissen-



diffentire. Quænam autem ex istis opinionibus dissentientibus principiis juris sit convenientior, non antea defini potest, quam dispexerimus, an plane ex intentione Romanorum, tanquam autorum SCri Vellejani, liceat mulieribus renunciare huic beneficio? Frustra enim quæritur de modo renunciandi, si renunciatio ipsa non valet. Et quamvis communiter interpretes, ad defendendam praxin fororum nostrorum non dubitent, efficaciam renunciationi fœminarum tribuere, nos tamen salvo aliorum iudicio, putamus, negativam sententiam doctrinæ juris esse convenientiorem. Age videamus.

## §. XVIII.

*Autores hanc  
sententiam  
defendentes.*

Neque desituitur sententia hæc negans auctoritatibus Jctorum eximiorum, etsi affirmativa sit magis communis. Vid. decus Jctorum Saxoniorum Berlichius *Part. 2. Concl. 19. n. 16. seq.* Mevius, at quantum vir, *ad jus Lubec. hb. 1. tit. 10. art. 1. n. 69. seq.* Leschaserius *peculiari tractatu Gallico de renunciatione Vellejani, qui invenitur inter ejus opera a p. 129. ad p. 158.* Nicol. Sallis *Sicilim. jur. civil. ad L. fin. b. 1. ut taceam Felinum, Baldum, Carocium, Heringium, Wefenbecium, Zanigerum, Rauchbarum, citatos Mevio & Berlichio.* Nos tamen missis auctoritatibus, rationibus potius agemus.

## §. XIX.

*Rationes: 1  
quia SCtum  
prohibet in-  
tercessionem.*

Prima ratio est: SCtum Vellejanum inter leges prohibitas referendum est, quæ interdicit fœminis, ne intercedant, at legum prohibitionibus non licet renunciare. Consequentia per se patet, quia secundum vulga-



vulgata pacta privatorum non possunt derogare juri publico. Antecedens probatur: Verba S<sup>C</sup>Ti clara sunt l. 2. §. 1. h. t. *Æquum non est, mulieres hujusmodi obligationibus obstringi.* Paulus l. 2. sent. tit. 11. *Mulieres intercedere prohibentur.* Idem l. 1. in pr. h. t. *Vellejano comprehensum est, ne fœminæ intercederent.* Ulpianus l. 2. pr. ff. eod. *Edicto primo interdictum, ne fœminæ pro viris intercederent.* Et alibi in l. 2. in fine. *Non permittitur intercedere.* Julianus in l. 14. & 16. pr. & §. 1. ff. eod. Item Ulpianus iterum l. *quamvis* §. *interdum* 3. eod. & Pomponius l. *si mulier* 32. §. *item si mulier* 2. eod. asserunt unanimiter, fœminam, quæ intercedit, facere contra S<sup>C</sup>rum.

## §. XX.

Secundo, si mulier eum delegaverit, qui debitor Unde 2. *fraus* ejus non fuit, *fraus S<sup>C</sup>ro facta* videbitur l. 8. §. 6. eod. *dem facere* Ergo necesse est, S<sup>C</sup>rum pertinere ad leges prohibi- *potest S<sup>C</sup>ro* tivas. Nam legi permittenti fraus fieri nequit, sed *fœmina.* saltem prohibenti. Contra legem enim facit, qui id facit, quod lex prohibet, *in fraudem* vero, qui salvis verbis *legis (prohibentis)* sententiam ejus circumvenit l. 29. ff. de LL.

## §. XXI.

Tertio, si mulier posset renunciare S<sup>C</sup>ro, pos- *3. Quia mu-* set etiam cum effectu solvere pecuniam, de qua in- *lier solutam* tercessit, ita ut eam conditione indebiti non re- *pecuniam re-* peteret. Si enim liceret ab initio statim renunciare *petit condi-* S<sup>C</sup>ro, multo magis id liceret ex post facto tem- *tionem inde-* pore solutionis. Sive autem tempore solutionis *biti.* renunciaret, sive absque renunciatione solvat, perinde foret. Quid enim interesset, verbis quis voluntatem



tatem suam declarat, an facto. (Nec obstat, quod filiusfamilias non possit renunciare S<sup>C</sup>to Macedoniano, Lauterb. *Comp. ad S<sup>C</sup>t. Maced. in fine*, & tamen solum non repetat *l. 40. pr. de cond. indeb.* Respondeo 1. invertitur propositio. Nos asserimus: quicumque potest repetere, non potest renunciare. At in objectione convertitur propositio, ac si dixerimus, quicumque non potest renunciare, potest repetere. Sed hoc nunquam asseruimus. 2. Filiusfamilias tum demum non potest repetere, si paterfamilias factus solvit *d. l. 40.* Ergo repetet solum, si solverit ut filiusfamilias *arg. l. ii. ad S<sup>C</sup>t. Macedon.*) At fœmina solvens pecuniam, habet conditionem indebiti *l. 8. §. 2. 3. 8. l. 24. §. 2. l. 31. b. t. l. 9. C. eod. l. 40. pr. de cond. indeb.* Et exinde recte notat Lauterbachium Schilterus *d. Exerc. 28. §. 7.* quod, cum in *Tr. Synopt. ad b. t. §. 1. n. 13.* illam thesin de conditione indebiti mulieri competenti posuisset, postea tamen *§. 2. n. 5.* asserat, nullam rationem haberi exceptionis S<sup>C</sup>ti Vellejani, si plane non opponatur, quia fœmina illam omittens illi renunciasse censeatur *arg. d. l. ii. ad S<sup>C</sup>t. Maced.* Nam *d. l. ii.* potius suppeditat argumentum pro sententia contraria.

## §. XXII.

Quarto, Si mulier firmiter obligaretur tempore intercessionis statim renunciando exceptioni S<sup>C</sup>ti Vellejani, multo magis obligaretur iterata post primam intercessionem promissione. Nam in renunciatione subitanea facilius decipi potest fœmina, quam ubi ad iterandam intercessionem persuadetur, & haften-  
lon.

4. Quia mulier non obligatur iterata promissione.



longius spatium deliberandi habuit. Cum ergo leges Romanæ ne iteratam quidem & repetitam intercessionem valere voluerint, nisi quod Justinianus eam admiserit, si post biennium facta fuerit *l. si mulier 22. C. ad Sct. Vellej.* facile constat, his juris principiis non convenire renunciationem subitanæ. Imo ex *d. l.* sic argumentum firmari poterit. Si non valet renunciatio iterata, multo minus valebit renunciatio prima. At vero non valet renunciatio iterata argumento *d. l. 22.* in verbis: *nihil sibi præjudicare, quod ex consequentia suæ fragilitatis in secundam jacturam incidit.* Quomodo ergo valeret renunciatio subitanea, ubi fœmina ex fragilitate sexus sui in primam jacturam incidit. *Conf. Berl. d. l. n. 22. & arg. l. 19. §. 1. de novat.*

## §. XXIII.

Eadem *d. l. 22.* verba simul argumentum quin- 5) Quia S. V. est propter  
 tum suppeditant. Vel enim ideo, quia Sctum Velle- est propter  
 janum est inventum propter fragilitatem naturæ & fragilitatem  
 imbecillitatem sexus muliebris *d. l. 22. l. 2. §. 1. ff. b. e.* natura in-  
 ei mulier renunciare non potest. Beneficio enim pro- venium.  
 pter fragilitatem naturæ & imbecillitatem sexus indu-  
 cto neminem posse renunciare non solum communi-  
 ter a JCrts est noratum, Berlich. *d. l. n. 18.* Mev.  
*d. l. n. 70.* sed & ex natura negotii sua sponte fluit,  
 quia alias frustranea esset dispositio legis, si valeret  
 renunciatio: v. g. quid prodesset, minoribus dare be-  
 neficium restitutionis in integrum, si minor posset re-  
 nunciare huic beneficio; nam tum sane quilibet, qui  
 cum minore vellet contrahere, eadem facilitate

D

per-



persuaderet minorem ad renunciandum, qua persuaderet ad contrahendum.

## §. XXIV.

6) Quia frustranea esset intentio SCti.

Latet in ista ratione novum & sextum argumentum. Si licita esset renunciatio SCti, SCrum nullum haberet effectum, quia mulier eadem fragilitate, qua decipitur in fidejubendo pro alio, eadem etiam imbecillitate inducitur ad renunciandum. Simili ratiocinatione utitur ipse JCtus *d. l. 19. de novat.* Simul illustrans assertionem exemplo minoris. Unde & foeminae ac minores aequiparantur *l. 11. ad SCr. Maced.* Et omnino major est ratio habenda foeminarum, quam minorum, quia minores desinunt aliquando esse minores, at foemina, quamdiu vivit, foemina manet. Ergo minor potest renunciare beneficio restitutionis, sed post majorennitatem. *arg. d. l. 11.* Foemina non potest, quia foemineiratem, ut ita loquar, exuere nequit. Cape etiam aliud exemplum. Metum passis datur ex jure naturae & civili exceptio metus. Et utroque jure non valet renunciatio hujus exceptionis durante metu, non alia ex ratione, quam quia alias legis beneficium plane foret frustraneum, cum eadem violentia qua larro promissionem impetrat a viatore, eadem etiam impetraret renunciationem ejus exceptionis.

## §. XXV.

Nec valet etiam renun-

ciationem juratam quod attinet, nec hanc valere, ex prin-



principiis juris Romani vel a tyronibus facillime deduci potest. Est Sctum Vellejanum introductum propter bonum publicum & prohibet intercessionem mulierum, ut vidimus. Beneficio autem propter bonum publicum introducto, ne quidem juramento potest derogari, nec juramentum valet, quod contra legem prohibentem est conceptum *l. 7. §. 16. de pactis l. 112. §. 3. & 4. de legat. l. 5. §. 1. C. de LL.* Ex hoc fundamento etiam inferunt Dd. citati Berlich. *d. l. n. 23.* beneficio propter fragilitatem sexus & naturæ concessio ne quidem juramento posse renunciari. In summa, clausula juratoria non solum jure civili *lult. C. de non numer. pecun.* sed & ex natura sua peculiarem vim non habet, quia non habet peculiarem sensum, sed tota quanta quanta est, est accessoria assertioni aut promissioni, adeoque eundem effectum producit, quem produceret assertio & promissio separata.

*ciatiojurata  
tam jure ci-  
vili quam  
naturali.*

## §. XXVI.

Audienda tamen est & altera pars, quæ nec ratione destituitur, nec textibus, quibus adeo breviter & modeste est respondendum, & cavendum adeo ingenuo veritatis indagatori, ne cum Nicol. Salis inventur in dissentientes, & impudente procacia sententiam adversam non nisi rabulis cum ratione insanientibus tribuat. *vid. D. Beier ad Pand. b. 2. n. 16.* Nam non ita facile est jus nostrum, in applicatione infinitarum conclusionum, quamvis ex principiis facilibus & evidentibus deductarum, ut propterea ægre ferre debeamus, si ejus interpretes subinde aliquid humani patiantur.

*Transitus ad  
argumenta  
dissentien-  
tium.*

D 2

§. XXVII.



## §. XXVII.

1) Quod *SCt. Vellejanum* sit inventum in favorem mulierum, ad quam respondetur.

Ratio dissentientium primaria nec prima fronte contemnenda, in eo consistit, quod *SCtum Vellejanum* sit inventum in favorem mulierum *r. z. ff. & C. ad SCt. Vellej. l. 40. pr. de cond. indeb.* quilibet vero juri & favori suo renunciare possit. Sed ad hanc quidem facile responderi poterit, si limitemus adsertionem illam de renunciatione juris in favorem nostrum inventi, modo non primario respiciatur utilitas publica. Nam pactis privatorum bono publico derogari nequit *l. 7. §. 16. l. 38. de pactis.* Hinc, ut diximus, minores in minorennitate non possunt renunciare beneficio restitutionis, viator, quamdiu durat violentia, non potest renunciare exceptioni metus. Sed cessante minorennitate & violentia possunt, quia tum Reip. parum interest. Similem autem esse rationem foeminae respectu intercessionis tam ex dictis patet, quam ex textu insigni *l. 2. pr. de R. J. Foeminae*, inquit Ulpianus, *ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotae sunt, & ideo nec judices esse possunt, nec magistratum gerere, nec postulare, nec PRO ALIO INTERVENIRE, nec procuratores existere.* Nisi quod in eo sit differentia inter foeminam & minorem ac viatorem, quod in foemina nullus sit casus, ubi cessat utilitas publica, cum foemina nunquam sexum exuat ac deponat.

## §. XXIX.

2) Respon-  
sur ad *l. fin. in l. fin. §. 4. b. r.*  
*§. 4. b. r.*

Textus primus, quo dissentientes utuntur, est *Si mulier pro eo, pro quo intercesserit, judicium parata sit accipere, ut non in vererem debitorem actio derur,*



*detur, quoniam S<sup>C</sup>ri exceptionem opponere potest, cavere  
 debet, exceptione se non usuram, & sic ad judicem ire.*  
 Exinde enim concludit glossa, mulierem semper renun-  
 cianare posse S<sup>C</sup>to, si modo fuerit de beneficio suo  
 certiorata. Et inde sic ad nostra tempora continua-  
 runt interpretes. Sed varie potest ad textum illum  
 responderi. Et initio quidem (1) a speciali renuncia-  
 tionis casu ad renunciationem quamvis, non valida est  
 illatio. Esse vero specialem casum, patebit ex legis  
 allegatae ampliore interpretatione & formatione casus.  
**SI MULIER PRO EO, PRO QUO INTERCES-**  
**SERIT** animo novandi, (cum postea creditor priorem  
 debitorem in jus vocet, & iudicio restitutorio adver-  
 sus eum agat secundum ductum *l. 8. §. 7. b. r. l. ult. §. fin.*  
*ead.*) interveniat, & petat iudicium restitutorium non  
 concedi, cum **IPSA PARATA SIT JUDICIUM AC-**  
**CIPERE** hoc modo **UT NON IN VETEREM DE-**  
**BITOREM ACTIO DETUR**, (v. g. si dicat se velle  
 ostendere, quo debitor, pro quo intercesserit, non sit  
 obligatus ob competentem exceptionem doli, aut non  
 numeratae pecuniae vel similem, ut adeo exceptione  
 S<sup>C</sup>ti non sit opus,) **QUONIAM** tamen, si postea cum  
 res ad iudicem pedaneum pervenerit, poenitere, & **SE-**  
**NA TUSCONSULTI EXCEPTIONEM OPPO-**  
**NERE POTEST**, (quia potest etiam repetere solutam  
 pecuniam conditione indebiti per dicta superius §. 21.)  
**CAVERE DEBEBIT** in iure & coram praetore **EX-**  
**CEPTIONE SENATUSCONSULTI SE NON**  
**USURAM, ET SIC AD JUDICEM IRE**, ob autori-  
 tatem videlicet & maiestatem praetoris, & ne iudicium  
 redda-



reddatur elusorium, & quia tunc mulier dolose agere censeretur, creditori omnes vias præcludens debitum suum recuperandi. Dum enim ille creditor restitui vult priorem actionem adversus primum debitorem, mulier impedit, asserens, nullam actionem creditori competere adversus primum debitorem. Quod si postea coram iudice deficeret in probanda hac exceptione, & cum condemnari deberet, recurrere velit ad exceptionem SCri, eluderet iudicium, fatendo, subfuisse veram obligationem prioris debitoris, atque creditori actionem adversus illam esse restituendam. Latius responsionem hanc deduxit Lefchafferus *tr. sepe citato de SCri Vellejani renunciatione a p. 135. usque ad p. 147.* nec poterit Glossa hircere contra eam, cum ipsa *ad d. §. 4.* casum similem formaverit. Sed nec desunt responsiones alia. Textus enim adductus 2. diserte loquitur de renunciatione postea facta, non de ea, quæ statim fit, unde a priore ad hanc nulla est illatio. Et quid si 3. quis dicat, eum textum forte respicere ad casum, ubi post biennium a prima intercessione creditor restitutionem petierit contra primum debitorem *arg. l. 22. C. b. r.* Quamvis mallet in prioribus duabus responsionibus acquiescere, partim quod *lex illa 22.* fit nova constitutio Justiniani, partim quod tum secundum illam *l. 22.* dici non posset, quod mulier adhuc SCri exceptionem habeat, ante renunciationem.

## §. XXIX.

3) *Ad Nov. 18. c. 5. C. s.* Æque facilis est responsio ad illam legum constitutionem, qua jubentur matres & avia: aspirantes ad tute-



tutelam liberorum vel nepotum, renunciare Scto Vellejano. *auth. matri & avia & l. ult. C. quando mulier tut. offic. Nov. 94. c. 2. Nov. 118. c. 5.* Quemadmodum enim hic iterum vitiose infertur: sceminae in casu tutelae jubentur renunciare exceptioni Scti, ergo possunt in casibus reliquis, ubi leges intercessionem prohibent, renunciare, ita cuilibet naturam negotii spectanti apparet statim specialitas casus & exceptionis a prohibita alias renunciatione Scti. Fundat se Sctum in eo, ne mulieres negotiis virilibus se immisceant, ex qua ratione etiam regulariter a tutelis excluduntur. At ob peculiare rationes mater & avia admittuntur ad hoc virile officium tutelae. Cum vero saepius requiratur utilitas pupilli, ut tutores pro ipsis intercedant, & cum aliis, qui cum pupillis agere nolunt, in utilitatem pupilli contrahant, aequum erat, ut idem juris esset in matre & avia tutrice, atque ut eum in finem eidem Scto Vellejano renunciarent: Ut jam alias rationes taceam, quae ostendunt in doctrina de intercessione matrum occasione tutelae liberorum jam olim fuisse statutum, quod Sctum Vellejanum eo non pertineat. Si Paulo credimus *lib. 2. Sent. Tit. XI. §. 2. mulier, quae pro tutoribus filiorum suorum indemnitate promittit, ad beneficium Scti non pertinet.* Ulpianus *l. 8. pr. b. t. Si mulier intervenerit apud tutores filii sui, ne hi praedia ejus distraberent & indemnitate ejus repromiserit, Papinianus non putat eam intercessisse, nullam enim obligationem alienam recepisse neque veterem neque novam. Sed ipsam fecisse hanc obligationem.* Similis casus est in *l. 6. pr. C. b. t.* Sed tamen postea in aliis casibus



bus ea de re fuit dubitatum, ut in §. 1. d. l. 6. *Sin autem tutore se excusare volente, ipsa mater se interposuit, indemnitatem ei repromittens, auxilio SCri uti minime prohibetur.* Conf. *tot. tit. Cod. si mater indemnitatem promisit.* Igitur, ut nullum dubium remaneret ac disputatio, Justinianus in casu, si mater ipsa tutelam gerat, exegit renunciationem SCri Vellejani. Cui hæ nostræ responsiones non satisfaciunt, potest addere prolixum discursum Leschasserii in tractatu sæpe citato a p. 147. ad p. 157.

## §. XXX.

*Origo sententia diffidentis. Eam esse valde antiquam.*

Postquam ergo hætenus abunde demonstravimus, renunciationem SCri Vellejani, nec cum regulis prudentiæ legislatoriæ, nec cum principiis jurisprudentiæ Romanæ convenire, juvat jam inquirere originem opinionis contrariæ ejusque occasionem. Idem Leschasserius p. 134. notat, Attaliam in Synopsi jam asseruisse hanc licentiam renunciationis, & p. 158. addit, oportere, quod ista opinio etiam in Basilicis exiterit, cum Attaliam eorum Synopsin confecerit, atque adeo illam opinionem invaluisse circiter trecentos annos post Justinianum. Sed apparere tamen ex præfatione Eclogarum juris Justiniani, sub nomine Imperatorum Leonis & Constantini editarum anno 838. quam defecerit eo tempore studium jurisprudentiæ, & quam parum apti fuerint JCrī Græci ex propria confessione, ad interpretationem juris Justiniani, quin & ipsos eorum discursus ostendere, quod magis ecclesiastici essent quam JCrī. Cum vero libri isti antiqui modo citati non sint ad manus, juvat saltem ex Hermenopuli *promtuarario*



uario istam Græcorum JCTorum persuasionem confirmare. Ita vero ille *lib. 3. tit. 6. sub rubrica de mulieris fidejussione*, interprete Johanne Mercero. *Fidejubere mulier & intercedere pro nullo potest, sed nec si intercesserit, eo nomine tenetur. Tum demum autem pro aliquo interveniens obligatur mulier &c. cum aperte dixerit, se juri proprio ac legi renunciare in favorem mulierum introducta, ne, si intercesserint, teneantur.* Nec mirum adeo, quod primi Glossatores latini errorem istum in glossis continuaverint.

## §. XXXI.

Maximum vero incrementum sumsit iste error ex communi persuasione de singulari æquitate & pietate juris canonici, ut quod expresse non solum renunciationem, sed & simplicem intercessionem mulierum juramento corroboratam valere debere præcepit. Textus elegans eam in rem extat in *cap. ex rescripto 9. X. de jurejur.* Et nota est in vulgus regula juris canonici, quod juramenta, quæ servari possunt, salva salute æterna sint servanda, etiamsi per ea confirmentur conventiones alias ipso jure nullæ vel invalidæ, ut sunt promissiones minorum, metu concussorum &c. Vide Johannem Valerum *de differentiis utriusque fori, sub rubrica Juramentum, differentia nona, & sub rubrica Metus, differentia sexta.* Sed ostendit jam alibi DN. Præses, quibus arcanis papatus nitatur falsa pietas & æquitas cerebrina illius regulæ, (*vide Ejus dissert. de æquitate cerebrina l. 2. C. de R. V. cap. 1. §. 17. & Fundamenta juris naturæ & gentium lib. 2. cap. 9. n. 5. Confer*

*Robur ejus ex regula æquitatis cerebrina juris canonici.*

E

Vale.



Valerum *dict. dissert. 9. n. 3.*) unde non opus est, ut plura ea de re hic commemoremus.

§. XXXII.

*Probatur,  
jam exiguum  
esse usum SCti  
Vellejani in  
foris Ger-  
mania.*

Ex dictis vero jam constabit ratio, cur in titulo dissertationis nostræ asseruerimus exiguum esse usum SCti Vellejani in foris Germaniæ. Etsi enim communiter Dd. contrarium asserant, cum sane in plerisque Germaniæ foris, in definiendis controversiis de intercessionibus mulierum, fundamenti loco poni so- leat observantia SCti Vellejani, & legum eo pertinen- tium, vel cæcus tamen palpare potest, quam rarissime uti possint mulieres beneficio SCti, cum creditores, coram quibus fit intercessio, si modo non sint plane stupidi, communiter id agere soleant, ut fœminæ intercedentes simul SCto renuncient jurato, vel cum juramento intercedant.

§. XXXIII.

*Atque adeo  
plerumque  
decipi fœmi-  
nas contra  
intentionem  
SCti.*

Simul vero pater, hoc pacto inutilem plane & inefficacem reddi receptum usum SCti Vellejani, cum fœminæ ita renunciantes plerumque decipiantur a creditoribus, vel debitoribus, sive extraneis, sive maritis, & eadem sexus fragilitate, qua ad intercedendum persuadentur, persuaderi etiam soleant ad renunciatio- nem cum receptis solennitatibus. Scio quidem, Dd. pragmaticos, ut hanc iniquitatem removerent, requi- rere certiorationem fœminæ, antequam renunciet, & explicationem beneficii hujus SCti, sed præterquam quod jam *supra* §. 16. fuerit notatum, in renunciacione jurata ne quidem certiorationem requiri, miserum etiam & insufficiens remedium est illa certioratio, neque



neque efficax, ut læsiones fœminarum intercedentium per id impediri possint. Nam eadem facilitate, qua mulier intercedit, etiam post certiorationem renunciar. Et quotidiana sane sunt exempla ejusmodi fœminarum, blanditiis maritorum vel extraneorum, & dolo creditorum, ac prætextu illo pietatis canonice in summam miseriam redactarum. Et tamen gloriamur de singulari sapientia jurisprudentiæ nostræ.

## §. XXXIV.

Quodsi vero aliquis ostendi possit usus SCTI Vellejani in foris nostris, uti id quidem fatemur, erit tamen ille ut plurimum, si non semper, iniquus & irrationalis. Tum enim decipiuntur creditores, etiam optimæ fidei & minime dolosi, (ignorantes videlicet usum SCTI esse receptum, aut necessitatem & solennitatem renunciationis,) & decepti adeo, vel a fœminis, vel a notariis, vel ab utrisque, atque sic & tum praxis repugnat non solum principiis juris naturalis, sed & ipsius juris Romani. Elegans eam in rem est textus Pauli l. 30. ff. b. 1. *Si decipiendi animo, vel cum sciret se non teneri* (addendum est, & creditor id ignoraret, nam alias ex sola scientia mulieris non deciperetur) *mulier pro alio intercesserit, exceptio ei SCTI non datur, actionem enim quæ in dolum mulieris competit, amplissimus ordo non excludit.* Leschasserius in fine tractatus saepe citati. *L'usage de cette renonciation contraire au droit, est tant entre nous passé par coutume en stil de Notaire, & ayant abrogé le Vellejan, s'est changé en un piège rendu a la simplicité de ceux, qui contractent avec les femmes, quand*

*Usus vero, si quis restat, esse plane iniquum & irrationalem.*



par malice ou ignorance les Notaires obmettent cette clause. Car nous desirons cette renonciation pour la validité des obligations des femmes pour autrui comme une solennité essentielle. Et encore qu'elle soit du tout vaine, & sans aucun effet en l'esprit des femmes si est ce, que les obligations, ou elle défaut, sont déclarée nulles. N'est ce point imposer loy aux paroles, & non aux choses? ou, ne vaudroit il point mieux abroger cette formalité comme une mauvaise herbe, qui doit être arrachée du camp de la justice?

## §. XXXV.

Conclusio.

Paticis, si praxis judiciorum nostrorum a vitio iniquitatis purganda foret, vel nullus deberet esse usus S<sup>C</sup>Ti, ne deciperentur creditores, vel nullus deberet esse usus renunciationum S<sup>C</sup>Ti Vellejani, ne deciperentur fœminæ, quorum neutrum cum fiat, dolendum est, praxin S<sup>C</sup>Ti Vellejani in foris nostris pertinere ad muscipulas & telas araneorum, quibus capiuntur incauti. Concludo verbis, quibus idem Lesschafferijs tractatum illum suum incipit. *Un Candior suivant les moeurs de sa republique, dressée du tout, & instituée par son fondateur à la guerre, maintient dans Platon, qu'il y a une guerre continuelle entre les hommes, & qu'ils se la font en leurs negociations au milieu, de ce, qu'ils appellent la paix.*

FINIS.

Sic



**S**ic repetis patrios merita cum  
laude Penates,  
Qua decorat nomen FRIDERI-  
CIANA TUUM.  
Nam Tibi non fatis est, Romanas  
discere leges,  
Sed simul, anquadrent ad fora no-  
stra, vides.  
His studiis dignum Themidis Te red-  
dis honore;  
Ut fortuna ferat præmia digna,  
precor.

Gratulabundus scribebat

PRAESES.

---

**W**enn unverdrossner Fleiß Gelehrsamkeit  
erlanget;  
So läßt man sie der Welt mit höchstem  
Rechte sehn:  
Was nützt ein Edel-Stein, der noch so herrlich  
pranget.  
Wenn seine Kostbarkeit nicht soll vor Augen  
stehn?

3

Drum



Drum zeigt Er, werther Freund, jetzt auch  
die klugen Lehren,  
Die Ihm der Fleiß erwirbt. Ja die gelehrte Welt  
Wird seinen Preis und Ruhm deshalb noch mehr  
vermehrten,  
Weil Er sich öffentlich allhier zur Probe stellt.  
Der Höchste schenck Ihm denn so viele Glückes-  
Zeichen,  
Als Sein gelehrter Wiß und wahrer Fleiß  
verdient!  
Er laß Ihn Seinen Zweck nach eignem Wunsch  
erreichen!  
Der Lorbeer fröhnt Ihn stets, der unverwelck-  
lich grünt!

Dem Herrn Candidato, als seinem werthesten  
Freunde, setze dieses wohlmeynend

Jacob Friedrich Ludovici, D.  
P. P. und der Juristen-Facultät Assessor.

---

**E**in Rechtsgelehrter muß ein Cassianer \*  
seyn,  
und den Tribonian als einen Abgott ehren;  
Die beste Meinung ist nicht allemal gemein,  
Drum darf man sich nicht stets an die Doctores  
Fehren.

Gelese

\* Cassiani de secta Capitonis.



Gefesse und Vernunft sind der Juristen Licht,  
Wem eins von beyden fehlt, der weiß die Rechte  
nicht.

Dies hast Du, werther Freund, hauptsächlich  
auch bedacht,  
Du hast die Rechte recht u. mit Vernunft getrieben,  
Die Glosse hast Du auch vorlängst schon aus-  
gelacht,  
Und bist nicht wie ein Slav beym Bartolus ge-  
blieben.  
Drum sammlest Du nun auch die schönsten  
Früchte ein,  
Und kanst mit Fug und Recht der Rechten  
Doctor seyn.

Dieses schrieb seinem werthen Freunde  
schuldigt zu gratuliren.

J. S. Cleffel.

**W** Ein werther Freund, so wird Dein theu-  
res Haupt geschmückt  
Mit Purpur, den vorlängst Dein mun-  
trer Fleiß verdient,  
Mit Lorbeern, die Dir längst im Helicon gegrünet;  
So recht, das ist der Lohn, mit welchem wird  
erquickt  
Ein Haupt, das so, wie Du, den Künsten nachge-  
gangen,  
Der Rechte güldnes Fließ als Jason zu erlangen.  
Zieh



Zieh hin mit diesem Schmuck; das werthe Va-  
terland  
Ist froh, die Frucht davon mit Nutzen zu genießen,  
Wenn Themis Quell sich wird aus Deinem Mund  
ergießen;  
Es sey Dir lebenslang so Glück als Ruhm be-  
kant.  
Was nur zu wünschen ist, was Menschen kan  
vergnügen,  
Das müsse ewiglich in Deinen Fluren liegen.

Joh. George Neufirch

Phil. Mag. & J. V. C.

---

**A**uf Blüthe folgt die Frucht, nach Arbeit kömmt  
der Lohn,  
Die Erndte folgt der Saat, eh ein Pallast  
kan stehen,  
Wird erst der Grund gelegt; So hast Du Themis  
Sohn

Mit Sorg' den Bau gelegt, ganz Halle hat gesehen,  
Wie Du Dir selbst zum Eranz die Palmen zugetragen:  
Drum wird ganz Regenspurg von deinem Lobe sagen.

Dieses wenige setzte dem Herrn Candidato  
zur schuldigen gratulation aus verbun-  
denem Gemüthe

Christian Nicolaus Hoppe,

Soltquell. Marchicus.





Kd 118.

8<sup>m</sup>

ULB Halle

3

002 174 405



WMA











*Q. D. B. V.*  
 DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,  
 DE

**USU EXIGUO  
 SCTI VELLEJANI  
 IN FORIS GERMANIÆ,**

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
 PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO,  
 ET DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE, &c. &c.

*P R Æ S I D E*

**DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCTO,**  
 SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO,  
 PROFESS. PUBLICO ORDINARIO, ET FACULT. JURID. h. t. DECANO,

IN ALMA FRIDERICIANA,

***PRO LICENTIA,***

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA  
 RITE CAPESSENDI,

IN AUDITORIO MAJORI,

HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS D. XXI. SEPT. MDCCVII.  
 PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJECIT

**JOHANNES RUPERTUS KRANNOEST,**

RATISBONENSIS.

RECUSA HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITERIS Salfeldianis, 1724.

